



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 6. Utrùm systema duarum delectationum, terrenæ scilicet & cœlestis, quæ voluntatem, hæc ad bonum, illa ad malum alternatim determinant, prout alternatim prædominantur, fundetur in doctrina S. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

Audiamus S. Doctorem: Ecce, inquit serm. 17. de verbis Apostoli, *delectet te aurum tuum, oculos tuos delectat, metallum est pulchrum, fulgentissimum, delectat... venit ergo tentator, & dicit tibi: Tollo tibi aurum, nisi dixeris pro me falsum testimonium: si autem dixeris, addo tibi. Decernat in te due delectationes. Modo interrogo te, quid preponas, quid te plus delectet, aurum an veritas, aurum an verum testimonium (hæres?) An hoc lucet, & illud non lucet? Fides queritur in vero testimonio. Aurum lucet, fides non lucet? Erubescere, habeo oculos, quod amabas in servo tuo (nempe fidem) redde Domino tuo. Jam dudum enim, cum interrogarem de duobus, servis tuis, uno de formi fidei, alio pulchro infidei, quem magis diligeres? respondebas mihi iuste, & preponebas quod preponendum fuit. Redi in te, quia modo agitur de te ipso. Certe amasti servum fidelem. Dominus tuus indignus est, si te habeat servum fidelem?*

His verbis S. Doctor proponit speciem, in qua in homine, qui tentatur, duæ delectationes non affectivæ oppositæ, una sensitiva, nempe perceptio fulgoris auri, & altera intentionalis, nempe apprehensio pulchritudinis fidei Deo debita in reddendo vero testimonio, concurrunt, & decernant inter se, ad objecti sui amorem & prosecutionem sollicitando voluntatem. Imò adfunt etiam aliæ duæ delectationes affectivæ indeliberatæ, quarum una, quæ est motus concupiscentiæ, pro sensitivâ; & altera, quæ est motus gratiæ, pro intentionali delectatione pugnat. Neutra tamen pars vincit, aut vincitur, quandiu voluntas de una delectatione alteri anteponenda deliberat; sed victoria hæret, & manet anceps, quandiu hæsit voluntas, à cuius proinde deliberato nutu dependet, ut delectatio sensitiva intentionali, aut intentionalis sensitivæ prævaleat; neque una alteri tandem prævalet, ita ut necesse sit hominem secundum illam operari, nisi quia voluntas post deliberationem unam alteri anteponit, unam plus diligit, quam alteram; atque ita homo deliberatè una delectatur amplius, quam altera. Hinc hominem seriò interrogat S. Doctor, quam ex duabus delectationibus velit alteri anteponere, & vehementer adhortatur ad intentionalem sensitivæ anteponendam, quod simplicius est, hominem adhortari ad anteponendam autem fidem Deo debitam. Nam S. Doctori idem est, auro anteponere fidem Deo debitam, & delectationi sensitivæ, quam causet fulgor auri, anteponere intentionalem delectationem, quam causet pulchritudo fidei Deo debita. His præsuppositis,

Jam tandem venio ad verba S. Doctoris, quæ nobis obijciuntur, & dico S. Doctorem, cum ait: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*, loqui non de necessitate antecedente, seu de necessitate antecedente actum primum ad unam contradictionis partem obligante intrinsecè, quæ fidei repugnat, sed de necessitate consequente, quam voluntas ipsa sibi imponit per deliberatum actum, quo unum objectum alteri opposito anteponit, illudque diligit amplius; vel, si vis, quod idem est, quo delectationem sensitivam vel intentionalem, quam causet unum objectum, præfert delectationi sensitivæ vel intentionali, quam causet aliud objectum oppositum: adeoque S. Doctor loquitur non de delectatione indeliberata, sed de deliberata, nempe de deliberato amoris actu, quo plus amat unum objectum, quam aliud oppositum; vel, si vis, quo plus amat delectationem sensitivam vel intentionalem, quam causet unum objectum, quam amat delectationem sensitivam vel intentionalem, quam causet aliud objectum oppositum. Sed ex occasione data, & ad majorem reipsonis nostræ declarationem, sit

ARTICULUS VI.

Unum systema duarum delectationum, terrena scilicet & cælestis, quæ voluntatem, hæc ad bonum, illa ad malum alternatim determinat, prout alternatim predominantur, fundetur in doctrina S. Augustini.

NOta. Hujus systematis defensores, 1. distinguunt duplicem delectationem indeliberatam, unam terrenam, & alteram cælestem. Prima est indeliberatus amoris vel desiderii motus inordinatus, quo voluntas propendit ad terrenam, & legi divinæ repugnantia; unde vocatur delectatio terrena. Secunda est indeliberatus amoris vel desiderii motus ordinatus, à Deo supra naturæ exigentiam operante impressus, quo voluntas inclinatur ad spiritualia & cælestia; unde cælestis delectatio dicitur.

2. Dicunt in hac mortali vita voluntatem nunquam esse sine terrena aliqua delectatione, & voluntatem sic terrena delectatione & irretitam & constrictam teneri, ut non possit nisi terrena ac legi divinæ repugnantia sapere & velle, nisi subveniat ei delectatio cælestis, terrenam comprimens. Itaque secundum illos, si voluntas solam habet terrenam delectationem, ab ea insuperabiliter determinatur ad malum; si verò voluntas cum terrena delectatione habet etiam cælestem, vel terrena intensior est cælesti, vel cælestis intensior est terrena, vel denique neutra intensior est altera. Si primum, terrena delectatio prævalet, & adhuc voluntatem ad malum insuperabiliter determinat. Si secundum, prævalet delectatio cælestis, adeoque voluntatem ineluctabiliter determinat ad bonum. Si tertium, neutra prævalet, sed se mutuo elidunt; unde tunc voluntas hæret in velleitatibus & inefficacibus desideriis, quia tunc neque bonum neque malum velle potest efficaciter; unde tunc neque bonum neque malum potest operari.

Secundum illos igitur, duæ delectationes se habent instar duorum ponderum; voluntas verò se habet instar liberæ duas habentis lances, quarum uni semper inest pondus sup, nempe terrena delectatio, à qua proinde tandiu voluntas ad res terrenas depressa insuperabiliter tenetur, quandiu alteri lanci non advenit pondus alterum aut majus, aut saltem æquale. Si advenit æquale, libra seu voluntas reddit æquilibrium, & in æquilibrio insuperabiliter manet, quandiu lancibus incumbunt æqualia pondera. Si advenit majus, libra seu voluntas in aliam partem insuperabiliter inclinatur versus spiritualia & cælestia. Quod si advenit minus, insufficienti, adeoque irritò conatu tentat in suam partem inclinare libram seu voluntatem, quæ proinde in partem adversam inclinata manet insuperabiliter versus terrenam & turpia; donec minori pondori addatur novum pondus, cujus additione potentius evadat adverso pondere.

Hanc mechanicam doctrinam fundant illius defensores in hoc principio, quod ea sit indoles voluntatis nostræ, ut non possit non velle & operari id, quod illam indeliberatè delectat amplius. Quod principium erunt potissimum ex his S. Augustini verbis: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*. Nam, inquit, quare necesse est, ut operemur secundum id, quod amplius nos delectat? Certe quia indeliberata delectatio major voluntatem nostram insuperabiliter determinat ad volendum & operandum. Dixi, potissimum: nullum enim aliud S. Doctoris testimonium pro eorum systemate proferri potest clarius & expressius; imò omnium, quæ proferri possunt, clarissimum & expressissimum est, ut fatetur Janfenius, qui de eo sic loquitur, lib. 4. de grat. Chr. cap. 6. *Sed unus est locus hac de re clarissimus, & præclarissimus, qui aureis meretur scribi characteribus, quo Augustini mentem plenissime capiamus. Id quippe quod nos filo verborum ipsius perspicuorum aucti, tanquam ab eo existimatum & traditum, ratiocinando colligimus, manifestissima & resolutissima autoritate desinit.* Itaque in hoc testimonio, quod

quod juxta Janenium, clarissimum & præclarissimum est, mereturque aureis scribi characteribus, velut in speculo quodam limpidissimo, juxta eundem, selem nificet inveniendum exhibet S. Augustini mens, quæ ex aliis ejus testimoniis, quamvis perspicuis, non nisi ratiocinando colligi potest. Quare systema mechanicum nullum habet fundamentum in doctrina S. Augustini, si perperam fundatur in his S. Doctoris verbis: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* Sic igitur

R E S P O N S I O.

Systema duarum delectationum, terrenæ & cælestis, voluntatem alternatim insuperabiliter determinantium, nullum habet fundamentum in doctrina S. Augustini.

Prob. Si hoc systema fundatur in doctrina S. Augustini, certè & maximè propter hæc ejus verba: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* Patet ex modò dictis. Atqui hoc nullatenus dici potest. Ergo, &c. *Prob. min.* Defensores hujus systematis illud nec fundant, nec fundare possunt in laudatis S. Augustini verbis, nisi supponendo illum loqui de delectatione indeliberata. Atqui hoc 1. gratis omnino supponunt. 2. Malè & falsò supponunt. Ergo, &c. Major patet.

Prob. 1. pars min. Neque quòd gratis omnino supponant S. Doctorem loqui de delectatione indeliberata. Nam si hoc non gratis omnino supponunt, vel quia præter delectationem indeliberatam non est alia deliberata. At hoc est evidenter falsum: nam si amor indeliberatus est affectiva delectatio, à fortiori deliberatus. Vel quia delectatio indeliberata magis propriè delectatio est, quàm indeliberata. At hoc etiam evidenter falsum est. Vel quia verbum *delectare* potius & frequentius in humano convitiò usurpatur ad significandam delectationem indeliberatam. At contrarium planè indubitatum est apud eos omnes, qui linguam Latinam callent vel mediocriter. Et verò quis nescit has voces, *Hoc me delectat*, ut alias æquipollentes, *Hoc mihi aridet, hoc mihi placet, hoc est meum beneplacitum*, à Latinis passim & communiter usurpari ad significandam delectationem deliberatam. Vel quia, si intelligitur S. Doctor de delectatione deliberata, propositio ejus erit falsa. Imò verò, si sic intelligitur, propositio ejus verissima est, & ejus veritas sic est obvia, ut ab homine sanæ mentis, penetrante terminos, feridè negari non possit; cum è contra, si intelligitur de delectatione indeliberata, ejus propositio sit falsa, aut saltem veritas ejus sit valde obscura ac dubia, & à multis cordatis viris, terminos penetrantibus, feridè negetur. Vel quia si intelligitur S. Doctor de delectatione deliberata, propositio ejus erit nugatoria. Sed contra est, quia evidenter non magis erit nugatoria, quàm ista ejusdem S. Doctoris eodem loco, aliquantò inferius: *Itaque si ex adverso existant duo, præceptum justitiæ & consuetudo carnalis, & utrumque diligitur, id sectabimur quod amplius dilexerimus.* Vel denique quia quod S. Doctor non de deliberata, sed de indeliberata delectatione loquatur, colligunt ex aliis ejusdem S. Doctoris textibus. At textum omnium clarissimum & præclarissimum ex aliis interpretari velle & inutile est & absurdum: non enim clariora per minus clara, sed minus clara per clariora explicantur.

Resumo. 1. Præter affectivam delectationem indeliberatam est alia deliberata, quæ tam, imò magis propriè est delectatio, quàm indeliberata. 2. Verbum *delectare* vi institutionis suæ non minus aptum est ad significandam delectationem deliberatam, quàm ad significandam indeliberatam: imò verò potius & frequentius à Latinis assumitur ad significandam delectationem deliberatam, cum dicunt, *Hoc me delectat, hoc me amplius delectat.* Adde mirum esse, si ad delectationem indeliberatam significandam, has voces, *Hoc me delectat*, aut alias æquivalentes, *Hoc mihi placet, hoc est meum beneplacitum*, aliquando usurpent. 3. Si propositio S. Doctoris de delectatione de-

Simonnet Theol. Tom. II.

liberata intelligatur, verissima est, & veritas ejus ipsa plana est & obvia omnibus, ut ab homine rationis compote negari non possit; cum è contra si intelligatur de delectatione indeliberata, falsa sit, aut saltem valde dubia, ut unusquisque vel mediocriter sapiens experitur: non enim magis clara est & certa, quàm ista: *Indoles humane voluntatis est, ut necessario velit & operetur secundum majorem delectationem indeliberatam*: quis de veritate hujus propositionis convincitur ex sola terminorum penetratione? quis circa hanc propositionem aliquem scrupulum, aliquam mentis anxietatem non patitur? quis à præjudiciis novitatis solutus, non potius eam ut falsam, & arbitrii libertatis everisimam repudiat? Denique systematis defensores non habent alium textum clariorem, quo hunc textum de indeliberata potius delectatione interpretentur, quàm de deliberata; cum hic textus sit omnium clarissimus. Quo igitur fundamento, qua fronte supponunt S. Doctorem loqui de indeliberata, non de deliberata delectatione; & ut tam clarum, certum, atque indubitatum supponunt, ut sit illis instar primi principii? Quo carmine magico factum est, ut Janenius tam facile illuderet hominibus? Sed ad quid non cogit homines novitatis pruritus?

Prob. 2. pars min. Nempe quòd systematis defensores malè & falsò contra mentem S. Doctoris supponant eum non indeliberatam, sed indeliberatam intelligere delectationem. 1. S. Doctor loquitur de ea delectatione, quæ insuperabiliter determinat voluntatem ad bene vel malè operandum, ad bene vel malè vivendum. Patet ex contextu. Atqui non indeliberata sed deliberata delectatio major insuperabiliter determinat voluntatem ad bene vel malè operandum, ad bene vel malè vivendum. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam indeliberata delectatio major non habet vim determinandi, sed solum magis inclinandi ad determinationem; nec est determinatio, sed solum major ad determinationem propensio. Ratio à priori est, quia indeliberata delectatio, etiam major, non est actus prælativus seu electivus unius objecti præ alio: unde non potest efficaciter voluntatem applicare ad operandum potius secundum unum objectum, quàm secundum aliud. At deliberata delectatio major, in mente S. Augustini, hoc est, deliberata delectatio, vi cuius voluntas uno objecto plus delectatur, quàm alio, est actus quo voluntas deliberatè unum objectum alteri præfert, unum objectum præ alio eligit efficaciter, puta justitiam præ peccato. Unde hæc delectatio deliberata major vim habet voluntatem determinandi & insuperabiliter determinandi ad operandum justè, in quantum tam impossibile est, eam non operari justè in sensu composito hujus delectationis, quàm impossibile est eam idem simul velle & non velle efficaciter, idem simul velle & non velle. Unde nihil est, à quo voluntas ab operando justè deterteri possit in sensu composito hujus delectationis.

2. S. Doctor loquitur de delectatione, conjuncta cum necessitate operandi secundum id quòd amplius delectat, quacum voluntas potest mereri bene operando, & demereri operando malè. Patet ex contextu. Ergo non loquitur de delectatione, quæ conjuncta esset cum necessitate antecedente bene vel malè operandi: voluntatem enim cum necessitate antecedente bene vel malè operandi posse nihilominus mereri vel demereri, nunquam asseruit S. Augustinus, & asserere hæreticum est. Ergo loquitur de delectatione, quæ conjuncta est cum necessitate bene vel malè operandi consequente tantum liberum, scilicet activè indifferentiæ exercitium, quacum necessitate voluntas bene operando meretur, & malè operando demeretur. Atqui delectatio indeliberata major, si necessitatem imponeret, imponeret antecedentem: non enim imponeret consequentem, quæ deliberationem supponit. Et delectatio deliberata major affert necessitatem consequentem etiam physicam operandi secundum id, quòd amplius delectat: nam ex hypothesi quòd voluntas deliberatè plus delectetur v. gr. cælestibus, quàm

E 2

quàm

quàm terrenis, quia terrenis efficaciter anteponebat celestia, non potest etiam physicè non operari secundum celestia in sensu composito hujus suppositionis. Ergo manifestum est S. Doctorem loqui non de indeliberata, sed de deliberata delectatione majore.

3. S. Augustinus loquitur de delectatione, quam intelligit, cum ait Exposit. in Evang. Joan. tract. 16, de c. 4. *Nec timere debemus ne ... dicatur nobis, quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico, Parum est voluntate ire, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Hic enim manifestè intelligit voluptatem, qua delectamur amplius, & secundum quam operamur. Atqui hæc voluptas non est indeliberata, sed deliberata delectatio, juxta S. Doctorem; est enim, juxta illum, delectatio, ad quam Scriptura nos adhortatur. Scriptura autem nec adhortatur, nec adhortari potest ad delectationem indeliberatam, sed solum ad deliberatam: hæc enim, non illa, est in nostra potestate. Ergo, &c.

4. S. Augustinus loquitur de delectatione, quam censet esse in nostra potestate. Ergo loquitur de delectatione deliberata, Pater conf. *Prob. ant.* Loquitur de delectatione, ad quam nos adhortatur. Ergo loquitur de delectatione, quam censet esse in nostra potestate. Consequenter patet: nemo enim, nisi insana mente sit, seriò adhortari potest hominem ad aliquid, quod putat non esse in ejus potestate, puta ad volandum, ad apprehendendam dentibus Lunam, Ant. quoque constat ex serm. 17, de Verbis Apostoli, ubi S. Doctor adhortatur homines ad anteponendam delectationem justitiæ aliis omnibus tam licitis quàm illicitis delectationibus, ut hoc pacto plus delectari justitia, quàm cæteris rebus omnibus, secundum illam operentur & vivant.

Confirm. 1. Resp. Systema, quod è diametro pugnat cum S. Augustini doctrina, nullum in ea fundamentum habere potest. Atqui systema duarum delectationum è diametro pugnat cum doctrina S. Augustini. Ergo, &c. *Prob. min.* In hoc systemate, voluntas nec delectationem, qua determinatur ad operandum injustè, nec delectationem, qua determinatur ad operandum justè, habet in potestate sua; in hoc enim systemate utraque delectatio est actus voluntatis indeliberatus. Manifestum autem est voluntatem non habere in potestate sua actus indeliberatos. Atqui in doctrina S. Augustini, voluntas habet in potestate sua & delectationem, qua determinatur ad operandum injustè, & delectationem, qua determinatur ad operandum justè. Ergo, &c.

Prob. min. Ex sermone proximo citato, ubi in hæc verba Apostoli, *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditie & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitie in sanctificationem;* sic disserit: *Quando peccabatis, delectabamini in peccatis vestris: timor vos adducebat ad peccandum, an suavitas peccati? respondebitis, Suavitas. Ad peccatum suavitas adducit, & ad justitiam timor impingit? Probate vos, inspicite vos, tollat aurum qui minatur; suavior est justitia, lucidior est justitia. Nos det aurum qui promittit, preponenda auro justitia, delectando preponenda est, fulgentior est, lucidior est, suavior est, dulcior est. Jam ergo si quis se probat, & in hoc certamine superavit, auditur Apostolum dicentem: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae, (hoc est, dicentem: Quodd humanum & facile est, vobis præscribo, cum dico:) Exhibuistis membra vestra deliciis illicitis, peccatorum suavitate ducti estis, ut illa faceretis: ducat vos ad recta facta suavitas, & dulcedo justitiæ, amate justitiam, quomodo amastis iniquitatem. Digna est justitia, quæ à vobis impetret, ut exhibeatis illi quod exhibuistis iniquitati. Hoc est, Humanum dico, hoc est, quod infirmitas vestra tolerare adhuc potest. Sic Apostolum interpretatur S. Doctor.*

Superius dixerat: *Preponite delectationi carnis delectationem mentis. Carnem quippe vestram delectant il-*

licita voluptates, mentem vestram delectet ... justitia, ut non ad eam timore cogamini. Quibus verbis adhortatur homines ut delectationibus sensuum anteponant spirituales delectationes, & sese oblectent amplius justitia, quàm cæteris bonis sensibilibus. Hoc autem esse in eorum potestate probat autoritate Apostoli.

Itaque sensus verborum ejus est: Sic delectemini justitia, ut operemini justè, non ex timore pœnæ, quod servorum est, sed ex delectatione justitiæ. In vestra autem potestate est, sic delectari justitia, adeoque ea plus delectari, quàm cæteris sensibilibus bonis. In potestate vestra fuit plus delectari injustitia, quàm justitia: unde ad peccandum vos non pœnæ timor, sed peccati suavitas induxit. Quidni etiam in potestate vestra esset, plus delectari justitia, quàm injustitia, adeoque ad operandum justè non pœnæ timore, sed justitiæ suavitate induci? Sicut enim carnalem seu sensitivam delectationem habet justitia, & hanc delectationem delectationi spirituali antepone, & anteponendo, plus injustitia, quàm justitia delectari potuistis: ita spiritalem seu intentionalem delectationem habet justitia; & hanc delectationem delectationi carnali, seu sensitivæ antepone, & anteponendo, plus justitia, quàm injustitia delectari potestis. Quod patet ex eo, quodd si carnalis seu sensitivæ delectationis potiundæ spes tollatur, statim intentionali justitiæ delectatione animus magis tangitur; statim apparet justitia lucidior, suavior, dulcior; statim judicatur justitia anteponenda; statim judicatur anteponenda spiritualis seu intentionalis justitiæ suavitas. Igitur sicut peccatorum suavitate ducti estis ut faceretis illicita & injusta, & ducti estis, quia carnalem delectationem spirituali anteposuistis: ita nunc ducat vos ad recta facta suavitas & dulcedo justitiæ: spiritalem delectationem carnali anteponite. Plus injustitiam amastis quàm justitiam, nunc plus justitiam quàm injustitiam amate. Justitia digna est, quæ à vobis impetret, ut illi, anteponendo spiritalem ejus suavitatem, exhibeatis quod iniquitati exhibuistis, anteponendo carnalem ejus delectationem.

Ex his luce meridiana clariùs apparet, in doctrina S. Augustini voluntatem nostram habere in potestate sua delectationes, quibus sive ad justè sive ad injustè operandum determinatur, seu, quod eodem redit, voluntatem nostram habere in potestate sua delectationes, quibuscum & secundum quas sive justè sive injustè operatur: voluntas enim nostra ad operandum determinatur à delectationibus, quibuscum & secundum quas operatur.

Sed adhuc pondera illa S. Doctoris verba, quibus manifestè jugulatur systema duplicis delectationis indeliberatæ, *Digna est justitia, quæ à vobis impetret, ut exhibeatis illi quod exhibuistis iniquitati.* Digna est justitia, juxta S. Doctorem, quæ à nobis impetret quod impetravit iniquitas, quando peccabamus. At quid à nobis impetravit, quando peccavimus? impetravit, juxta S. Doctorem, ut peccatorum suavitate duceremur ad faciendâ illicita & injusta; ut peccaremus, non ex timore pœnæ, sed ex delectatione peccati; ut amplius nos delectarent turpia, quàm honesta; ut delectationem carnis anteponeremus delectationi mentis. Unde juxta S. Doctorem, justitia digna est, quæ à nobis impetret, ut suavitate & dulcedine justitiæ ducamur ad recta facta; ut recta faciamus, non ex timore pœnæ, sed ex justitiæ delectatione; ut amplius delectemur honestis, quàm turpibus, ut delectationem mentis anteponamus delectationi carnis, injusta fecimus, non ex timore pœnæ, sed ex interno amoris affectu erga voluptatem illicitam; æquum est, ut justa faciamus, non ex timore pœnæ, sed ex interno amoris affectu erga voluptatem licitam & honestam. Servivimus injustitiæ, secundum illam operandum, quia plus illa delectari volumus; æquum est, ut velimus plus delectari justitia, ut illi, secundum illam operandum, serviamus. Digna enim justitia est, quæ à nobis impetret, ut exhibeamus ei quod exhibuimus iniquitati.

Igitur in doctrina S. Augustini: penes voluntaris arbi-

arbitrium est, ut delectetur iniquitate vel iustitia, ut amplius delectetur iniquitate, quam iustitia, aut amplius delectetur iustitia, quam iniquitate; adeoque penes voluntatis arbitrium est, qua delectatione determinetur ad operandum, qua delectatione determinetur ad iniuste potius quam iuste, vel ad iuste potius quam iniuste operandum. Igitur in doctrina S. Augustini, delectatio, qua determinatur ad operandum sive iuste sive iniuste, non est actus voluntatis indeliberatus, sed deliberatus. Quod

Declaratur adhuc. In doctrina S. Augustini, penes voluntatis arbitrium est, ut dulcedine peccatorum ducatur ad facienda illicita. Similiter penes voluntatis arbitrium est, ut dulcedine iustitiae ducatur ad facienda iusta. Ergo, quod idem est, penes voluntatis arbitrium est & delectatio, qua ducitur ad facienda illicita, & delectatio, qua ducitur ad recta facta. Ergo, quod idem est, penes arbitrium voluntatis est & delectatio, qua determinatur ad facienda illicita, & delectatio qua determinatur ad recta facta. Atqui tunc voluntas determinatur ad facienda illicita, cum eam sic delectat iniquitas, ut necesse sit eam operari secundum iniquitatem; & tunc determinatur ad recta facta, cum eam sic delectet iustitia, ut eam necesse sit operari secundum iustitiam. Ergo in doctrina S. Augustini, penes arbitrium voluntatis est delectatio illa maior, secundum quam eam sive iuste sive iniuste operari necesse est, adeoque maior illa delectatio, secundum quam necesse est voluntatem operari sive iuste, sive iniuste, est actus voluntatis deliberatus, quo scilicet voluntas vel anteponit delectationem carnalem spiritali, & sic plus amat iniquitatem, quam iustitiam; vel anteponit delectationem spiritali carnali, & sic plus amat iustitiam, quam iniquitatem. Mechanica igitur duplicis delectationis indeliberatae doctrina toto caelo distat à doctrina S. Augustini.

Confirm. 2. Illud systema non habet fundamentum in doctrina S. Augustini, in quo inutiles sunt & irrisoriae exhortationes, quibus homines deterrentur à vitiis, & ad virtutes incitantur: nam S. Augustinus totus est in adhortandis hominibus ad bonum, & à malo deterrendis, ut patet ex citatis textibus. Atqui in systemate duplicis delectationis indeliberatae inutiles sunt & irrisoriae exhortationes, &c. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam in illo systemate frustra deterrentur à vitiis, & ad virtutes incitantur homines, in quo, sive bonum sive malum operentur, illud semper ex antecedenti & insuperabili determinatione operantur. Patet ex terminis. Atqui in systemate duplicis delectationis, homines, sive bonum sive malum operentur, illud semper operantur ex antecedenti & insuperabili determinatione: cum enim operantur malum, ad illud operandum insuperabiliter determinantur à terrena delectatione prevalente independenter à voluntatis arbitrio. Item cum operantur bonum, à delectatione caelesti, independenter à voluntatis arbitrio prevalente, insuperabiliter determinantur ad illud operandum. Ergo, &c.

Amplius. Cum ait S. Augustinus serm. 17. de verbis Apost. *Iustitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes, & ei delectationi, qua licite delectaris, praeponat iustitiam.* Prae omnibus voluptatibus, hoc est, delectationibus etiam licitis, amanda est iustitia. Praeponite delectationi carnis delectationem mentis. Mentem vestram delectet iustitia. Exhibuistis membra vestra deliciis illicitis, peccatorum suavitatem duci estis, ut illa faceretis; ducat vos ad recta facta suavitatem & dulcedinem iustitiae. Amate iustitiam, quomodo amastis iniquitatem. Digna est iustitia, qua à vobis impetret, ut exhibeatis illi, quod exhibuistis iniquitati: sermò loquitur, an non? Sermò. Jam itaque ad punctum temporis supponamus duplicis delectationis systema ut Augustinianum, adeoque S. Augustinum in ea fuisse sententiam, in qua sunt systematis defensores, hominem scilicet in praesenti statu nihil planè sive boni sive mali velle & agere, nisi ex antecedenti & insuperabili determinatione, orta ex indeliberata aliqua delectatione prevalente.

Simonnet Theol. Tom. II.

Hac suppositione facta, sic dico. S. Augustinus nec loquitur, nec loqui potest sermò, cum adhortatur hominem verbis modo relatis. Nam adhortatur vel pro eo casu, quo delectatio terrena praevalet; vel pro eo casu, quo praevalet caelestis delectatio; vel pro eo casu, quo neutra delectatio praevalet, sed ambae se mutuo elidunt. Si primum: putat, tunc hominem antecedenter & ineluctabiliter determinatum esse ad malum: qui autem hoc putat, non potest sermò adhortari hominem ad amplectendum bonum. Si secundum: putat, tunc hominem esse antecedenter & ineluctabiliter determinatum ad bonum: qui autem hoc putat, non potest sermò adhortari hominem ad fugiendum malum. Si tertium: putat, tunc hominem ineluctabiliter hærere bonum inter & malum: qui autem hoc putat, non potest sermò adhortari hominem ad anteponendam delectationem mentis delectationi carnis, ad iustitiam plus amandam, quam iniquitatem, ad malum vitandum & bonum faciendum ex amore & delectatione iustitiae, ad iustitiae delectationem omnium aliarum delectationum victricem efficiendam. Patent hæc omnia ex terminis: nam per se manifestum est, neminem, qui sit mentis compos, posse alium sermò adhortari ad aliquid impossibile, aut sermò adhortari ab aliquo impossibili pro eo tempore, pro quo ipse scit, vel putat esse illi impossibile. Falsa igitur est suppositio facta, & S. Augustino injuriola. Ergo à doctrina S. Augustini omnino aberat systema duplicis delectationis.

Confirm. denique 3. Systema duarum delectationum contradictoriè opponitur doctrinae S. Augustini. Ergo nullum habet in ea fundamentum. *Prob. ant.* In systemate duarum delectationum, positis omnibus ad agendum praequisitis ex parte actus primi voluntas est antecedenter & insuperabiliter determinata ad alteram contrarietatis partem, ad bonum scilicet, si praevaler delectatio caelestis, ad malum verò, si praevaler delectatio terrena. At in doctrina S. Augustini, positis omnibus ad agendum praequisitis ex parte actus primi, voluntas ad neutram contrarietatis partem est antecedenter determinata; sed potest pro arbitrio bene vel malè agere, sic delectari iustitia, ut vincat alias delectationes tam licitas quam illicitas; vel non sic delectari, amando scilicet iustitiam prae omnibus aliis voluptatibus, vel non amando; delectationi carnis delectationem mentis anteponere, vel non anteponere; peccati dulcedine ad illud faciendum, vel suavitatem iustitiae ad illam sectandam duci: hæc enim omnia aut expresse dicitur, aut manifestè supponit S. Doctor locis citatis. Ergo, &c. Sed ne quis superstiti scrupulus, ex iis omnibus S. Doctoris textibus, qui perperam pro systemate duarum delectationum congeruntur, juvat unum aut alterum hic afferre & exponere.

Obj. itaque 1. hæc S. Doctoris verba in hunc Psalmi 67. versic. *Parasti in tua suavitatem egenti Deus. In tua suavitatem, non in illius facultatem...* Hæc est illa suavitas, de qua alibi dicitur, *Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Ut bonum opus fiat non timore, sed amore: non formidine poenae, sed delectatione iustitiae: ipsam enim est vera & sana libertas. R. S. Doctor non aliud dicit, quam bonum opus fieri non posse ex amore deliberato potius quam ex timore, ex deliberata delectatione iustitiae potius quam ex formidine poenae, nisi Deus voluntatem praeveniat, dando ei suavitatem quandam. Hanc autem suavitatem dat partim per actum intellectus, quo intentionaliter praesentem animam sinit pulchritudinem iustitiae; partim per actum indeliberatum, quo voluntatem inclinat & afficit ad illam pulchritudinem. Unde suavitas, quam Deus infundit, consistit in duobus actibus, quibus pulchritudo iustitiae indeliberatè delectat animam, quatenus per unum possidetur intentionaliter, & per alterum incipit affectivè possideri. Unde consequitur, ut voluntas deliberatè amet iustitiam, eaque deliberatè delectetur, & sic delectetur per illum amoris actum, quo eam affectivè amplectitur, ut operetur secundum illam, atque

E 3 ita

ita opus bonum fiat ex affectu iustitiæ, non ex formidine pœnæ: in quo bonum ex propria determinatione operandi modo consistit vera & sana voluntatis libertas.

Obj. 2. S. Augustinus sic loquitur lib. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 17. *Nolunt homines facere quod iustum est, siue quia latet an iustum sit, siue quia non delectat: tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quod bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius Ut innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates Ideo quisque nostrum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non sue facultatis, sed divini muneris esse vel quod scit, vel quod delectatur: ac sic ab elationis vanitate sanctetur, & sciat quàm verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit: Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus summum, atque incommutabile bonum.*

R. S. Doctorem hic loqui de delectatione deliberata, quæ consistit in amore deliberato, quo unum obiectum alteri anteponimus, & anteponendo, illo delectamur amplius. Sine hac delectatione homines nolunt facere quod iustum est, quia homines non volunt facere, nisi quod amant facere, & cum hac delectatione homines facere volunt quod iustum est, quia facere volunt quod amant facere, & tantò ardentius volunt, quanto ardentius amant, & amando ardentius delectantur. Ut autem ament facere quod iustum est, indigent adiutorio Dei dantis suavitatem, seu suavem voluntati iustitiam efficientis, & quidem quomodo ei aptum est, ut velit iustitiam amare, & amando illa delectari sic, ut illam sectetur, & secundum illam operetur. Itaque ut suavis hominibus fiat iustitia, quomodo eis aptum est, ut eam ament deliberatè, eaque deliberatè delectentur sic, ut ament facere quod iustum est, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates. Quæ gratia nunc datur, nunc non datur? unde bonum opus suscipere, agere, implere nunc amamus, nunc non amamus, & ita nunc delectamur, nunc non delectamur, ut noverimus divini muneris esse, non facultatis nostræ naturalis, quod amemus deliberatè, & amando deliberatè delectemur, atque ita non in nobis gloriemur, sed in Domino, quo dante suavitatem, terra nostra dat fructum suum, quem non dat, Domino suavitatem non dante. Porro tantò magis deliberatè delectamur facere quod iustum est, quanto magis diligimus Deum, quia quanto magis diligimus Deum, tantò magis amamus ei placere; & quanto magis amamus ei placere, tantò magis amamus facere quod iustum est.

Obj. 3. Eod. lib. c. 19. sic ait S. Doctor: *Nos autem quantum concessum est, sapiamus, & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum idè etiam sanctis suis ad alicujus operis iustitiam aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel vitricem delectationem, ut cognoscant non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebre eorum; & suavitatem qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque, iustitiam, quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod latebat, & suave faciat, quod non delectabat? quia & hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratia didicimus, cum antea lateret: ejus gratia dileximus, cum antea non delectaret Idcirco etiam sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardius sanat, ut in his eos minus, quàm implende ex omni parte iustitiæ sufficit, delectet bonum, siue cum latet, siue cum etiam manifestum est.*

R. 1. Hic quoque S. Doctorem intelligi posse de delectatione deliberata, seu de actu amoris deliberato. Itaque dici potest, quod juxta S. Doctorem, victrix illa delectatio, quam Deus non tribuit aliquando sanctis suis, est delectatio, non indeliberata; sed deliberata, quæ iustitia nos delectat amplius, quàm bona sensibilia, quia illam amplius diligimus, illamque ante-

ponimus. Victrix autem illa delectatio dicitur, quia vincit omnes alias delectationes carnales, quippe quibus in ejus sensu composito indulgere non possumus. Illam dat Deus, dando suavitatem congruam, hoc est, iustitiam efficiendo nobis suavem & dulcem, quomodo nobis congruit, ut eam amplius amemus, & amplius amando, amplius ea delectemur. Unde quando ad faciendam perficiendamque iustitiam, Dei adiutorium deprecamur, deprecamur ut iustitiam nobis suavem efficiat; quia quandiu nobis insuavis est, ea non possumus indeliberatè delectari; & ea non possumus deliberatè delectari, quia, eam diligere non possumus. Nec modò deprecamur, ut iustitiam nobis efficiat suavem, sed etiam suavem efficiat, quomodo nobis aptum est, ut eam tantum amemus, adeoque ea tantum delectemur deliberatè, quantum ad illam ex omni parte implendam sufficit.

R. 2. S. Doctorem intellectum de delectatione indeliberata, ut alias intelleximus, per delectationem victricem significare non necessitatem, sed congruam delectationem cœlestem, sine qua non delectamur, & quacum delectamur deliberatè iustitia, quantum oportet, ut eam impleamus, & secundum eam operemur: siue, quod idem est, sine qua non delectamur, & quacum delectamur deliberatè iustitia plus quàm bonis sensibilibus, adeoque sine qua non anteponimus, & quacum anteponimus bonis sensibilibus iustitiam, & sic eam necessarîo necessitate consequenti & nobis voluntaria sectamur.

ARTICULUS VII.

Utrum gratia efficax constitui possit in excitante gratia ex natura sua irrepudiabilis.

RESPONSIO.

Non potest.

Prob. 1. Nam gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, repugnat Concilio Senonensi. Ergo non est admittenda. *Prob. ant.* Gratia excitans est inspiratio divina. Atqui inspiratio ex natura sua irrepudiabilis reprobatur à Concilio Senonensi. Ergo, &c. *Prob. min.* Inspiratio ex natura sua irrepudiabilis, talis est natura sua, ut ei non possit resisti, sed ea voluntas inevitabiliter rapiatur: nam quid est inspiratio ex natura sua irrepudiabilis, nisi inspiratio ex natura sua irresistibilis? Cum enim repudiare inspirationem, nihil aliud sit, quàm ei resistere; posse repudiare inspirationem, nihil aliud est, quàm posse ei resistere; adeoque non posse repudiare inspirationem, nihil aliud est, quàm non posse ei resistere. Atqui inspiratio, quæ talis est ex natura sua, ut ei resisti non possit, reprobatur à Concilio Senonensi: nam decreto 15. loquens de interiori & occulto secretioris inspirationis afflatu, quo voluntas contracta sese convertit in Deum, sic ait: *Nec enim tale est hujusmodi trabentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum sanctum ne extinguerent, divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.* Ergo, &c.

Prob. 2. Gratia excitans ex natura sua irrepudiabilis, damnatur à Synodo Tridentina. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam Synodus sess. 6. cap. 5. loquens de excitante gratia, cui homo liberè assentiendo & cooperando, sese disponit ad recipiendum justificationis beneficium, expresse docet, eam ab homine abjici posse. Atqui gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, non potest abjici: non enim potest repudiari. Non potest autem repudiari, & non potest abjici, sunt synonyma. Ergo, &c.

Præterea, Synodus ead. sess. can. 5. definit voluntatem gratiæ excitanti, cui re ipsa consentit, posse, si velit, dissentire in sensu scilicet divito consensus, hoc est, voluntatem gratiæ excitanti, cui consentit, ita consentire, ut non consentire, sed dissentire posset, si veller. Atqui gratiæ excitanti, ex natura sua irrepudiabili, voluntas non potest non consentire: nam si posset